Οἱ μὲν κατ' ἐνιαυτὸν καρποὶ ἐκ τῆς γῆς, οἱ δὲ ἐκ τῆς φιλίας κατὰ πάντα καιρὸν φύονται. Pyth. Orell. l. l. p. 6, 28. Ex terra singulis annis, ex amicitia nullo non tempore fructus proveniunt oder Non ut ex terra, sic ex amicitia fructus singulis annis, sed quovis tempore proveniunt.

β) *per collationem:*

Αἱ μὲν ἐσθῆτες γενόμεναι διάλαμπροι πάλιν ἐν τῇ χρήσει ἀναπίμπλανται ῥύπῳ· αἱ δὲ ψυχαὶ ἅπαξ ἀποκαθαιρόμεναι τὴν ἀμάθειαν διὰ παντὸς μένουσι λαμπραί. Pyth. Orell. l. l. p. 6, 25.

Vestes lotae et nitidae factae usu iterum sordibus opplentur; animi autem (at animi) ignorantia semel abstersa perpetuo nitorem retinent.

Non (Neque enim) ut vestes lotae usu iterum sordescunt, ita animi semel ab ignorantia purgati nitorem rursus amittunt.

Ut vestes purgatae maculis usu iterum sordidae fiunt, ita animi detersa semel ignorantia nitorem semper retinent.

d) *simile per negationem* (§. 38. Schol. Lat. I §. 82, b):

α) *per brevitatem:*

Οὔτε τὸν ἄῤῥωστον ἡ χρυσῆ ὠφελεῖ κλίνη, οὔτε τὸν ἀνόητον ἐπίσημος εὐτυχία. Pyth. Orell. I p. 10, 47.

Neque aegrotantem aureus lectus nec stultum fortuna splendida iuvat. — Ut aegrotantem aureus lectus, sic stultum fortuna splendida nihil iuvat. Ut aegrotantem aureus lectus, sic ne stultum quidem fortuna splendida iuvat.

β) *per collationem:*

Οὔτε πλέοντας παρὰ τόπον ὁρμεῖν ἀσφαλές, οὔτε ζῶντας παρὰ τὸν νόμον βιοῦν ἀκίνδυνον. Sokrates bei Orell. l. l. p. 16, 28.

Neque navigantes praeter loci opportunitatem appellere tutum est, neque viventes praeter legum praecepta vitam agere periculo vacat.

Ut naviganti loco non suo appellere tutum non est, sic ne viventi quidem contra leges facere sine periculo est.

e) *exemplum fictum* (§. 39. Schol. Lat. I §. 80):
Demosth. de Coron. §. 194 (Demosthenes rechtfertigt sich gegen die Anschuldigung des Aeschines, daß er an dem Verluste der Schlacht bei Chaeronea Schuld sei): *Ὥσπερ ἂν εἴ τις ναύκληρον πάντ' ἐπὶ σωτηρίᾳ πράξαντα καὶ κατασκευάσαντα τὸ πλοῖον, ἀφ' ὧν ὑπελάμβανε σωθήσεσθαι, εἶτα χειμῶνι χρησάμενον καὶ πονησάντων αὐτῷ τῶν σκευῶν ἢ καὶ συντριβέντων ὅλων τῆς ναυαγίας αἰτιῷτο· ἀλλ' οὔτ' ἐκυβέρνων τὴν ναῦν, φήσειεν ἄν, οὔτε τῆς τύχης κύριος ἦν.* Ut si quis dominum navis, qui quidvis ad salutem comparaverit iisque rebus instruxerit navem, quibus incolumem eam fore putaret, deinde tempestate coorta afflictis armis vel etiam plane collisis naufragii reum faciat, ille se neque gubernasse navem, neque fortunam in manu habuisse respondeat. Hier folgt das exemplum fictum per *χωρισμὸν* nach: will ich es zu einer collatio vervollständigen, so muß ich den vorhergehenden §. 193 nachschicken: sic ego in republica gerenda quantum in me fuerit quantumque et ratione et fide et labore contendere potuerim vel etiam plus, quam potuerim, ad

salutem dignitatemque urbis contulisse me, eventum penes deos fuisse profiteor.

f) *similitudo libera et separata* (§. 41):

1) mit vorangehendem Gleichniß:

Σωκράτης τοὺς μὲν οἰομένους φύσει ἀγαθοὺς εἶναι, μαθήσεως δὲ καταφρονοῦντας ἐδίδασκεν, ὅτι αἱ ἄρισται δοκοῦσαι εἶναι φύσεις μάλιστα παιδείας δέονται, ἐπιδεικνύων ἐπὶ τῶν ἵππων τοὺς εὐφυεστάτους, θυμοειδεῖς καὶ σφοδροὺς ὄντας, εἰ μὲν ἐκ νέων δαμασθεῖεν, εὐχρηστοτάτους καὶ ἀρίστους γιγνομένους, εἰ δὲ ἀδάμαστοι γένοιντο, δυσκαθεκτοτάτους καὶ φαυλοτάτους. Ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἀνθρώπων τοὺς εὐφυεστάτους, ἐρρωμενεστάτους τε ταῖς ψυχαῖς ὄντας καὶ ἐξεργαστικωτάτους ὧν ἂν ἐγχειρῶσι, παιδευθέντας μὲν καὶ μαθόντας ἃ δεῖ πράττειν, ἀρίστους τε καὶ ὠφελιμωτάτους γίγνεσθαι, ἀπαιδεύτους δὲ καὶ ἀμαθεῖς γενομένους κακίστους τε καὶ βλαβερωτάτους. Xenoph. Memor. IV, 1, 3. (Vergl. Cic. de Offic. I, 2.) Socrates dicere solebat optima quae viderentur ingenia maxime institutione et doctrina indigere, cum demonstraret nobilissimos equos, quippe qui acres ferocesque essent, si a prima aetate domitoribus traderentur, maxime tractabiles utilesque fieri: sin in gyrum non ducerentur, effrenatos et nequissimos evadere. Similiter (sic, ita) homines optima indole praeditos, quoniam robustissimi animis et ad conficiendum, quidquid aggrederentur, aptissimi essent, si doctrina et eruditione quae opus essent didicissent, optimos utilissimosque exsistere; sin rationis expertes fuissent, pessimos ac perniciosissimos fieri. (Von den Gleichnissen des Sokrates in Xenoph. Memorab. eignen sich überhaupt zum Uebersetzen I, 2, 32. I, 5, 3 per contrarium; II, 6, 6. 7 per collationem; III, 1, 7 per collationem oder per *χωρισμόν*; III, 2, 1 ebenso; III, 3, 9 ebenso; III, 6, 1. 2 exemplum fictum; IV, 2, 6 per collationem. Die Stellen sind nach meiner Ausgabe citirt, welche Andeutungen zum Uebersetzen enthält.)

2) mit nachfolgendem Gleichniß:

Demosth. Olynth. III §. 69 (Olynthier, Eretrienser, Phocenser wissen sehr viel zu sagen von dem, was sie früher hätten thun sollen, um sich vom Untergange zu retten; aber dies nützt ihnen nun nichts mehr): *Ἕως ἂν σώζηται τὸ σκάφος, ἄν τε μεῖζον ἄν τ' ἔλαττον ᾖ, τότε χρὴ καὶ ναύτην καὶ κυβερνήτην καὶ πάντ' ἄνδρ' ἑξῆς προθύμους εἶναι καὶ ὅπως μήθ' ἑκὼν μήτ' ἄκων μηδεὶς ἀνατρέψει, τοῦτο σκοπεῖσθαι· ἐπειδὰν δ' ἡ θάλασσα ὑπερσχῇ, μάταιος ἡ σπουδή.* Quamdiu incolumis navis est sive maior sive minor, tamdiu et vectorem et magistrum et omnes deinceps (pro se quemque) promptos esse alacresque oportet et illud unum providere, ne quis eam vel consilio vel temere evertat; sin vero mare superfusum erit, cessit in vanum labor. (Liv.) Vergl. Olynth. III §. 17.

g) *comparatio.* (§. 40.)

Hierzu eignet sich z. B. das Gleichniß vom verschiedenen Acker bei Matth. 13, V. 1—22, das ich nicht ausschreibe, da das N. T. in Aller Händen ist. Es würde etwa lauten: In semente facienda fieri interdum videmus, ut non omnia semina, quae in terram iaciuntur, complexa humus gremio foveat atque educat. Quaedam ultra limites agri sparsa in viam decidunt pedibusque calcata mox praeda avium fiunt; alia saxosis locis leviter inhaerentia ut cito proveniunt, ita celeriter ad solis aestum humoris inopia marcescunt; pars in sentibus abdita paulisper cum ipsis crescunt, mox superante vi inimica opprimuntur; nonnulla agrum bonum nacta felici proventu multiplicique fructu exuberant. Similis ratio est eorum, quorum animis regni divini doctrina applicatur. Quidam eam non introrsum admittunt, sed auribus exceptam neque penitus perceptam mala fraude eripi sibi patiuntur; alii excipiunt illi quidem libenter, sed non altis defixam radicibus, ut sunt facile mutabiles, cum rebus adversis tentantur aut ob ipsam doctrinam vexantur, animis dimittunt; pars exceptam animis terrestribus curis rerumque humanarum studiis ita opprimi sinunt, ut fructum ex ea neque ipsi percipiant neque aliis adferant; pauci eam et auribus

excipiunt et animis complectuntur et fructus efferunt, prout cuiusque ingenium est, varios ac multiplices. (Von den Gleichnissen des N. T. lassen sich als exemplum fictum behandeln außer den in §. 39 genannten Matth. 13, 45—46 von der köstlichen Perle; Luc. 15, 4—7 vom verlorenen Schaf; als collatio: Matth. 13, 31—32 vom Senfkorn; Joh. 13, 1—6 vom Weinstocke; als comparatio: Joh. 10, 1—21 vom guten Hirten und den Schafen. Die übrigen sind entweder *ἀπόλογοι* oder zu schwierig für die Behandlung von Seiten eines Schülers.)

Anmerkung. Nachdem man die verschiedenen Arten des Gleichnisses geübt, kann man ein einzelnes, wie z. B. das oben b, 3 von Polybius gebrauchte, herausgreifen und die Aufgabe stellen, dasselbe in allen Arten mit Ausnahme der comparatio und des exemplum fictum, wozu nicht jedes geeignet ist, darzustellen. Zu dem contrarium würde man das fretum Euripi verwenden können, von dem Livius XXVIII, 6 sagt: Fretum Euripi non septies die, ut fama fert, temporibus certis reciprocat, sed temere, in modum venti nunc huc nunc illuc verso mari, velut monte praecipiti devolutus torrens rapitur. Ita nec noctu nec die quies navibus datur. Pomp. Mela II, 7, 75: Euboea angusto freto distat a litore: Euripum vocant, rapidum mare et alterno cursu septies die ac septies noctu fluctibus invicem versis adeo immodice fluens, ut ventos etiam ac plena ventis navigia frustretur. Bei der Uebertragung von Dichterstellen ist eine größere Freiheit gestattet, doch nicht so, daß das Poetische des Bildes zu sehr durch Herabziehung in platte prosaische Ausdrucksweise verwischt werde. An ihnen ist namentlich die Aufgabe der Variation zu lehren.

B) Umbildung lateinischer Gleichnisse aus Dichtern. Wir wählen hierzu aus Sarbiev. Lyric. III, 28, 1 ff.: Qualem nivosis Eridanum iugis u. s. w., das etwa so lauten würde: Eridanum, cum primum nivali iugo demissus leni aquarum tractu profluit, puellae rusticae vado traiciunt hilarique passim plausu innatant; mox

ubi affluentior undis modici oblitus marginis prorupit longisque erroribus diversa regna populosque praeterlapsus est, exceptis simul alveo minoribus fluviis caelique imbribus adauctus, tum latius silvis campisque imperans ripaeque modum tumultu excedentis undae definiens difficile iam natatur spatioque in immensum profusus aegre sustinet paventem ventos phaselum ferre, magis gaudens bellantium subire excelsas naves galeis scutisque longe conspicuas, donec Italos amnes in avari Hadriae voraginem effudit et alato velis militi mari ire liberiore permisit. (Ich habe gerade dieses Beispiel gewählt, weil es wegen der naheliegenden Vergleichung mit dem Goetheschen Gedicht: Mahomets Gesang und dem ähnlichen von Esaias Tegner: Der Fluß [Poetische Werke, übersetzt von Dr. Ernst Theod. Mayerhoff. Berlin 1835 und 1837, 2 Bde.] besonders interessant ist.)

C) Vervollständigung einzelner Bilder und bildlicher Ausdrücke zu durchgeführten Gleichnissen. Wir wählen dazu hauptsächlich nur Lateiner, obgleich Griechen und Deutsche einen ebenso reichen Stoff bieten.

a) Bilder:

Non convalescit planta, quae saepe transfertur. Wüstem. Prompt. p. 104 ed. 2.

Gutta cavat lapidem. Ovid. Pont. IV, 10, 5. (Tib. I, 4, 14: Longa dies molli saxa peredit aqua.)

Saepe creat molles aspera spina rosas. Ovid. ex Pont. II, 2, 34 (Plutarch. bei Lycosthenes p. 72: Ut rosa, flos unus omnium gratissimus, de spina nascitur, sic e tristibus et asperis laboribus fructus capitur iucundissimus).

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu. Hor. Epp. I, 2, 69. (Quint. Inst. Or. I, 1, 5: Natura tenacissimi sumus eorum, quae rudibus annis percepimus, ut sapor, quo nova imbuas, durat, nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. S. Pal. Mus. I p. 62, 5.)

Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit. Horat. Epp. I, 2, 54. Epictet. bei Gell. N.

Att. XVII, 19: litteras atque doctrinas philosophiae, cum in hominem falsum atque degenerem tanquam in vas spurcum atque pollutum influxerunt, verti, mutari, corrumpi).

Non est arbor solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur et radices certius figit. Sen. de Prov. IV. (S. Pal. Mus. I p. 33, 58. p. 57, 21).

Fulvum spectatur in ignibus aurum. Ovid. Trist. I, 5, 25. Cic. Epp. ad. Fam. IX, 16: Non facile diiudicatur amor verus et falsus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, ut quasi aurum igni, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit).

Feriunt summos fulgura montes. Hor. Carm. II, 10, 11. (S. das griech. Epigr. des Lucilius Pal. Mus. II, 1, p. 160 und außerdem Pal. Mus. I, p. 26, 58. p. 71, 16. p. 101, 11).

Perflant altissima venti. Ovid. Rem. Am. 369. (Cic. pro Cluent. LVI, 153: vitam remotam a procellis invidiarum sequi. p. Sull. XIV, 41: vento aliquo in optimum quemque excitato mit Halm's Anmerkung. Liv. XLV, 35: Intacta invidia media sunt: ad summa ferme tendit).

In tenebris ignis magis enitet. (S. Pal. Mus. p. 35, 72).

Pondere non premitur, sed sursum palma resurgit. (Plin. N. H. XVI, 43, 81: Ut palmae arboris ramus imposito onere non deflectitur in terram ceterarum more, sed renititur et ultro adversus sarcinae pondus erigit sese: ita viri fortis animus quo plus negotiis premitur quove magis saevit fortuna, hoc est erectior. S. Pal. Mus. I, p. 65, 42).

Quo spica gravior granis est, eo magis se demittit. (S. Pal. Mus. I, p. 33, 59; dasselbe vom Baum ibid. p. 108, 29).

Qui metuit spinas, fruitur nec odore rosarum. (Luc. Phars. X, 494: Laetius est, quoties magno sibi constat honestum).

Sua sponte vitis uvas profert, sed tamen diligenti

falce cultoris opus est. (S. Pal. Mus. I p. 58, 32. p. 69, 5. Hor.: Doctrina sed vim promovet insitam Rectique cultus pectora roborant).

b) bildliche Ausdrücke zu vollständigen Gleichnissen zu erweitern:

Oratio stilo *depascenda* est Cic. de Orat. II, 23, 96. (Ellendt zu St.: gregibus depascendas segetes nimis luxuriantes dabant veteres. Verg. Georg. I, 112. Plin. N. H. XVIII, 45. — Quint. X, 4, 1 stili munus esse dicit premere tumentia, luxuriantia adstringere, exsultantia coercere. Danach z. B.: Orationis ut segetis saepe quaedam luxuries est. Seges quidem ne temere crescendo nimis silvescat, sed ad maturitatem quandam ac robur perveniat, gregibus depascenda datur, quo fit, ut quod succrescendi tarditate amittitur, frugum compensetur bonitate. Ita in scribendo quidquid nimis redundare et exsultare quodammodo licentius videtur, ne amissa sanitate in putidum abeat corruptumque genus, stilo coercendum saepiusque praecidendo ad salubritatem revocandum est).

Ὁ μὴ δαρεὶς ἄνθρωπος οὐ παιδεύεται. Eurip. (Das Bild vom Gladiator, der *συγκεκροτημένος* sein muß, wenn er tüchtig sein will. S. Westermann zu Dem. Olynth. II §. 17. Die ictus fortunae s. Tusc. II, 17, 41.)

Vir constans adversis rerum *immersabilis* undis. Hor. (S. Schmidt zu Hor. Epp. I, 2, 22: Das Bild vom Schwimmenden, der sich auf stürmischen Wogen durch seine Gewandtheit, Beherztheit und Ausdauer oben erhält. S. Pal. Mus. I p. 35, 71).

Terra *exercetur (vexatur, sollicitatur)* aratro.

Gubernatrix vitae ratio. (S. Pal. Mus. I p. 46, 5.)

In *teneris* consuescere multum est. Verg. (S. Pal. Mus. I p. 58, 31.

Βασιλεὺς ποιμὴν λαῶν. Hom. (S. Xen. Mem. III, 2).

Gottes Gnade ein Frühlingshauch. (Erasmus Lib. Ecclesiast. 3: Quemadmodum blandis flatibus adspirante Favonio squalor et tristitia hiemis depellitur omnisque naturae facies veluti nova iuventa

repubescit: arbores novis ornantur frondibus, gramina laete virentia variis florum luminibus distinguuntur, amnes labuntur amoenius, sol ipse totaque caeli species meliore adspectu delectat oculos; sic simulatque hominis animo adflaverit divini spiritus gratia, protinus abit vitae prioris deformitas proque vitiis omnis vita decoris virtutibus enitescit: dicas eum feliciter renatum.)

Marcet sine adversario virtus. Sen. (Wilh. Müller: Frag' den Grashalm, der der Sonne regenschwer entgenzittert, Ob er heute wünschen möchte, daß es gestern nicht gewittert.)

Νόσος ἡ ἔμφυλος στάσις. (Vergl. Tusc. III, 11 de avaritia und Catil. I, 13).

D) Gleichnisse zu finden zu gegebenen Sentenzen, als:

Boni praeceptoris est videre, quo quemque natura sua ferat. Cic. (S. Erasm. bei Lycosth. 105: boni agricolae est nosse terram, quam colit.)

Sperat infestis, metuit secundis bene praeparatum pectus. Hor. (S. Orell. Opp. Moral. I p. 445, 24. Pal. Mus. I p. 28, 70).

Maximae cuique fortunae minime credendum. („Ueberfülle körperlicher Gesundheit schlägt leicht in Krankheit um (*αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραί.* Hippocr.) und der lange Zeit glückliche Seefahrer geräth wohl auf einem Riffe fest." Schneidewin zu Aesch. Agam. 968).

Labor continuus nocet. (S. Ovid. ex Pont. I, 4, 7 ff.)
Otia dant vitia. (S. Ovid. Trist. V, 12, 21 ff.) u. s. w.

E) Umwandelung einzelner Bilder in eine *comparatio:* Puer litterarum studiosus cum ape comparandus. Seneca bei Lycosth. p. 75: Apes e variis varios colligunt sucos, sed eos suo spiritu miscent ac digerunt. Pal. Mus. I p. 99, 1).

Ager cum ingenio comparandus (S. Pal. Mus. I p. 80, 59. Fr. Rückert: Den Sonnenschein kann er nicht machen).

Πλοῦς ὁ βίος. (S. Pal. Mus. I p. 86, 77. II, p. 159, 36. Senec. Epist. LIII).

Vita hominum cum fluvio comparanda. (S. Bomhard Aufgaben zu Latein. Stilüb. p. 5).

Princeps cum fonte comparandus. (S. Pal. Mus. I p. 35, 75) u. s. w.

F) **Nachbildung deutscher Originale.** Hierzu bieten unser Aretalogus (Brandenb. 1841) und die Carmina latina (Leipzig 1857) eine Menge Beispiele dar, z. B.

1) Laß Neid und Mißgunst sich verzehren,
Das Gute werden sie nicht wehren.
Denn Gott sei Dank, es ist ein alter Brauch:
So weit die Sonne scheint, so weit erwärmt sie auch. (Goethe.)

(Senec. bei Lycosth. p. 129: Ut solis lux integra est, etiamsi aliquid interiaceat, eodem modo virtuti opposita nihil detrahunt: non est minor, sed minus fulget; nobis forsitan non aeque apparet ac nitet, sibi eadem est et more solis obscuri in occulto vim suam exercet. Cic. p. Sest. §. 60).

2) Im dämmernden Schatten des Laubes versteckt,
Da reifen die Früchte der Reben;
So muß, wer gedeihen im Innersten will,
Sich des äußeren Schimmers begeben. (Wilh. Müller.)

(Catull. XIX, 14: Uva pampinea rubens educata sub umbra).

3) So wie die Flamme des Lichts auch umgewendet hinaufstrahlt,
So vom Schicksal gebeugt strebe das Gute empor. (Herder.)

(Senec. Ep. XXXIX: Quemadmodum flamma surgit in rectum, iacere ac deprimi non potest, non magis quam quiescere: ita noster animus in motu est, eo mobilior et actuosior, quo vehementior fuerit) u. s. w.

G) **Das *simile* als *argumentum*.** Wie die Aufgabe zu behandeln, zeigt z. B. Cic. de Finib. II, 34: Ad maiora nati sumus quam ad voluptatem. Quid enim tanto opus est instrumento in optimis artibus comparandis, quid tanto concursu honestissimorum studiorum, tanto virtutum comitatu, si ea nullam ad aliam rem, nisi ad voluptatem, conquiruntur? Ut si Xerxes, cum tantis classibus tantisque equestribus et pedestribus copiis, Hellesponto iuncto, Athone perfosso maria ambulavisset, terram navigasset, si, cum tanto impetu in Graeciam venisset,

causam quis ex eo quaereret tantarum copiarum tantique belli, mel se auferre ex Hymetto voluisse diceret (gesagt hätte), certe sine causa videretur tanta conatus.

Für das *exemplum* ist zunächst die §. 81 allgemein gestellte Aufgabe auf mannichfaltige Weise zu variiren, indem man den Beweis entweder similibus contrariisque exemplis (§. 45) oder maioribus minoribusque (ibid.), aus der Universalgeschichte oder einem Theile derselben, aus Mythologie und Geschichte u. s. w. verlangt, was jedenfalls wünschenswerth ist, um den Schüler in den verschiedenen Einführungs- und Verbindungsformen der imparia exempla (§. 52 ff.) zu üben. Themata, wie Insignem attenuat deus; Aurum multa multis saepe suasit perperam; Dulce et decorum est pro patria mori u. s. w. bieten Stoff, Beispiele aller Art zusammenzustellen und diese durch die angemessenen Formen zu distinguiren. Man kann zu dem Zwecke auch fertige Vorbilder auswählen und diese variiren lassen, wie wir es §. 55 gethan haben. Dazu würden z. B. zu benutzen sein de Finib. V §. 62—64 (Honestum suapte natura per se esse expetendum) und besonders Tusc. I §. 112—116 (Mortem non solum non malum, sed etiam bonum esse.) Der argumentirende Ton bei similibus exemplis kann am besten gelehrt oder studirt werden an Beispielen, wie Cic. Parad. I, 2 und Senec. Epist. XCIV (Multi qui vicerunt hostem, cupiditate victi sunt). Nach diesen Mustern lasse man entweder neue Beispiele similium exemplorum bilden, um daran die Kraft des exemplum als argumentum zu verdeutlichen, oder fertige, wie z. B. Muret's bei Baumstark Oratt. Lat. p. 177 (Beispiele von Gelehrten, die bis zum höchsten Alter thätig gewesen sind) variiren. Die demonstrirende Kraft dagegen, welche durch die expositio exempli mittelst der διατύπωσις erreicht wird, mache man an den beiden §. 57, 2 aus Muret angezogenen Beispielen klar und verlange demnach z. B. den Tod des Epaminondas (nach de Fin. II §. 97) als Beispiel eines ehr- und vaterlandsliebenden Helden in dieser Form der descriptio mit der clausula des Epiphonems (§. 57) als kleines in Rahmen gefaßtes Bild. §. 85.

Die Einübung dieser Formen, namentlich der damit verbundenen rhetorischen Figuren der concessio, praeteritio, apostrophe, confirmatio u. s. w., kann füglich erst in Prima beginnen. Damit aber der Schüler den praktischen Werth der Fabeln für das

exemplum bei Zeiten erkenne, kann schon der Secundaner ange
halten werden, lehrreiche Aesopische Fabeln aus dem Griechische
frei zu übersetzen oder nach dem Lateinischen des Phädrus in Pros
umzusetzen. Ein Muster hierfür ist §. 47, c mitgetheilt. Außer
dem wird der Lehrer bei der Lectüre der Dichter wie der Prosaike
sich angelegen sein lassen, jedes exemplum inlustre auf seinen
ethischen Gehalt zurückzuführen und denselben in einer Sentenz zu
fixiren und so Sinn und Verstand des Schülers für Reflexione
dieser Art zu schärfen — allerdings keine kleine Aufgabe, aber de
Lebens Leben.

Was endlich das *testimonium* erfordert, ist größtentheils au
§. 64 zu erkennen. Außer Aufgaben nämlich, wie: die wichtigste
Sprichwörter der Römer aus C. Zell's Ferienschriften, aus Plut
Vit. Lycurg. et Solon. und Xenoph. Cyrop. (I, 2) die Geset
ethischen Inhaltes und aus Herodot die Orakel der Art (zu benutze
Herm. Steudener Dissertatio de Divinationis apud Herodotun
ratione. Prog. Rossleb. 1856, p. 19—21) zusammen zu stellen
muß von Zeit zu Zeit Gelegenheit gegeben werden zu Uebersetzunge
aus dem Griechischen, zunächst aus Prosaikern, wozu vor allem
zugleich wegen des lehrhaften und für die Zwecke der Chrie zu
benutzenden Stoffes, die Memorabilien sich eignen. Eine Anleitung
hierzu giebt unsere Ausgabe (3. Aufl. Leipzig, 1869). Wer i
lateinischer Versification geübt ist, wird sich auch an griechische
und deutschen Dichtern (§. 64) versuchen. Von den Letzteren gieb
unsere Palaestra Musarum II, 2. Abtheil. III p. 106 ff. Bei
spiele mit Uebersetzungswinken, namentlich in dem Sprichwörtliche
und den zahmen Xenien, welche mit dem Verse beginnen, der unse
Epilogus sein soll:

> Wie fruchtbar ist der kleinste Kreis,
> Wenn man ihn recht zu pflegen weiß.

Anhang.

I.

Exempla.

(Auch dies sind wieder Schülerarbeiten, zu denen die verbessernde Hand des Lehrers nur so viel hinzugethan, als nöthig war, um dieselben zu Mustern für Schüler im Großen und Ganzen zu gestalten.)

1) Xenocratem ferunt, nobilem imprimis philosophum, cum quaereretur ex eo, quid discipuli eius assequerentur, respondisse: ut id sua sponte facerent, quod cogerentur facere legibus.

Cic. de Republ. I, 2.

Philosophi, qui Platonis secuti sunt rationem, mortuo magistro in duas discesserunt familias, quae differebant nominibus, rebus fere, ut ait Cicero, congruebant. Nam alteri, qui erant cum Aristotele, Peripatetici, alteri, quorum in numero maxime floruit Xenocrates Chalcedonius, qui Speusippo, Platonis sororis filio, successerat, quia Academiam obtinebant, e loci nomine Academici dicti sunt. Fuit autem Xenocrates non modo vir praestantissimo studio et doctrina (multos enim scripsit libros et de ratione dicendi et de natura deorum), sed etiam summa innocentia morumque sanctitate. Quod quam recte de eo iudicatum sit, cum ex multis rebus colligi potest, tum maxime ex iis, quae Alexandri, regis Macedonum, legatis respondisse dicitur, apparet. Quos, cum magnam vim auri ei attulissent, in Academiam abduxit atque ibi tantum iis apposuit, quod satis esset, nullo apparatu. Cum postridie ex eo quaererent, cui numerari vellet, Quid? vos hesterna, inquit, cenula non intellexistis, me pecunia non

egere? Idem veritatis adeo erat studiosus, ut testimonium apud iudices dicentem iurare cives prohibuerint. Habetis vitam moresque: docendo autem quantum valuerit, non solum Polemonis testatur exemplum, quem narrant ab infami vita moribusque perditissimis ad bonam frugem una Xenocratis disputatione revocatum esse, sed magis etiam intellegitur ex iis, quae memoriae prodidit Cicero. Xenocratem ait, cum quaereretur ex eo, quid discipuli eius assequerentur, respondisse: ut id sua sponte facerent, quod cogerentur facere legibus.

Quo responso quid ille voluerit quaerentibus notasse nobis videtur ac perstrinxisse eorum rationem, qui doctrinam suam et institutionem ad vitae civilis usus maxime necessarios revocarent. Dixit enim non tam id se agere, ut optime discipuli instituerentur dicendi disserendique artibus perfectique exsisterent vel oratores vel philosophi, sed nihil antiquius se habere, quam ut virtutis atque honestatis vim cognoscerent, cognitam adamarent. Non igitur artes, quas diximus, docuit ob alienam aliquam causam, ut aut maiorem aliquando in republica dignitatis gradum obtinerent aut doctrina ceteris et eruditione praestarent discipuli, sed ut naturam moresque excolentes honestum per se ipsum amarent recteque facere discerent non aut spe emolumenti aut poenae metu adducti, sed ex animi sententia ipsiusque virtutis pulchritudine incensi. Sic enim institutos aliquando optimos cives futuros civitatisque salutem melius tuituros esse credebat, quam qui sine honestate doctrinis artibusque vel maxime florerent. Ut brevi dicam, eorum, quae Xenocrates dixit, summa haec est: optime homines ad civilem sapientiam ita institui, ut honestum facerent ob id ipsum, quod esset honestum.

Quam sententiam quis et quin assensu suo plane comprobet? Nam cum vitam acturi simus in civitate ea condicione, ut quantum quisque possit conferat ad communem salutem civium aut munere fungens aut arte vel negotio aliquo intentus, scholae hoc certe debet esse propositum, ut adolescentes instruantur iis doctrinis et artibus, quae ad res gerendas, ad rempublicam administrandam, denique ad omnes officii partes exsequendas necessariae sunt. Quamobrem etsi non nego, philoso-

phiam, quae quidem in disserendi subtilitate versetur, dicendique artem, quae in omnibus liberis civitatibus plurimum valet, esse perutiles neque ullo modo neglegendas, praesertim si quis longius, quam vulgo solet, in rerum cognitione procedere velit; tamen multo magis refert, ut praeclare sentire, denique quidquid discimus, ad animi virtutem excolendam tamquam ad ultimum finem referre discamus. Plurimum enim ad civium salutem continendam cum ceteras virtutes, tum iustitiam valere, quoniam est civitas hominum beate honesteque vivendi societas, quis est quem fugiat? Iustitia enim est ea virtus, quae suum cuique tribuens aequitatem in omnibus rebus servat, ut sine ea ne ceterae quidem virtutes recte consistere possint. Quod si iustitiae tanta vis est, ut est, certe etiam leges, quibus cum ipsa firmatur ac stabilitur, tum civium dignitas prosperitasque augetur atque adiuvatur, plurimi faciendae sunt. Quod cum ita sit, certe uniuscuiusque civis est legibus sine ulla dubitatione parere atque obsequi. Dices: Fateor legibus esse obtemperandum, sed quid tandem refert, utrum quis sua sponte oboediat, an metu aut alia causa adductus? Quid? res nonne docet omni tempore exstitisse homines prudentes illos quidem et calliditate praeditos, sed animi imbutos pravitate, qui legibus ita fraudem facerent, ut neque ipsi in ius vocari neque poena ab iis repeti posset? Manifestum est igitur, haud ita difficile esse contra leges facere, neque ullam eas sine moribus utilitatem afferre. Hoc loco cui non in mentem veniunt Romani, quales Augusti temporibus fuerunt? Quot et quam bonae leges illo tempore latae sunt, quibus mores magis magisque labentes sustentarentur et gliscentes libidines voluptatesque coercerentur. Sed tunc ipsum re edoctus Horatius:

Quid leges sine moribus:
Vanae proficiunt?

Nimirum cognoverat poeta, legibus mores corrigi non posse, nisi civium animis illud penitus insitum infixumque esset, ius atque iustitiam sua sponte esse colenda atque expetenda. Quod nisi quis ita existimat, melius esse aliquid quam illa putet necesse est. Quid igiur? Pecuniamne an honores an voluptates praeferendas censet? quibus ipsis repudiandis spernendisque summa virtus cognoscitur. Ex quo intellegitur nihil cuiquam magis studendum esse, quam ut cupiditates animi

libidinesque coerceat atque cohibeat. Hac una via paullatim eo perveniet, ut intellegat leges esse fundamenta libertatis, fontes aequitatis, denique mentem et animum civitatis posita esse in legibus, quibus afflictis aut eversis ne illa quidem salva possit esse. Quibus perspectis tum denique verecundia legum imbutus sua sponte faciet, quod facere illis cogitur.

Fac esse civitatem omni genere eruditissimorum hominum liberalissimisque studiis affluentem, denique tam copiosam, ut in ea quaecunque ad vitam instruendam exornandamque pertinent abunde suppeditent: quid? eius ipsius civibus nonne maximopere cavendum putas, ne quid reipublicae damnum inferant, quoniam illarum ipsarum rerum copia cupiditates libidinesque vehementissime incitantur? Videmusne, ut Atheniensium res eo ipso tempore, quo ad summum prosperitatis ac potentiae gradum pervenisse videbantur, a Lacedaemoniis fractae atque prostratae sint? Quod certe illis non contigisset, nisi Athenienses ipsi moribus corruptis atque minus legibus obsequentes fuissent. Platonem quidem accepimus, cum invitatus esset a Cyrenensibus, ut ipsis leges scriberet et rempublicam constitueret, id recusasse, cum diceret, perdifficile esse leges condere tam fortunatis. Quae cum ita sint, facile est intellectu, civitatem stare non posse, nisi cives libenti animo legibus pareant atque oboediant.

Ac sicut mundus interiturus esset, nisi certis atque aeternis regeretur legibus, nisi vel sol et luna quotidie cursus suos conficerent, vel constantes caeli motus, astrorum ordines rati essent, vel dies noctesque semper variarent: sic in civitate, quae ipsa ex multarum partium confusione constat, leges valere tamquam vinculum communitatis necesse est.

Quod quidem Lycurgus, is qui Lacedaemoniis leges dedit, penitus perspexerat, nihil tam efficiendum esse, quam ut cives salutem ac libertatem reipublicae in oboedientia legum positam esse existimarent. Quantopere id assecutus sit, perspicuum est et ex pugna illa ad Thermopylas et ex iis, quae Demaratus, qui tum exsul versabatur apud Persas, de popularibus suis professus est. Is enim paullo ante illam pugnam a Xerxe interrogatus, quidnam de Lacedaemoniis sentiret, qui tam parva manu tantae multitudini hostium resistere auderent, respondit: nunquam fore, ut Lacedaemonii regis condicionibus acceptis Graeciae servitutem afferrent. Nam libertati eorum dominam prae-

esse legem, quam plus timerent, quam Persae regem. Hanc semper unum atque idem imperare neque pati, ut illa a quantacunque hominum multitudine recederent, sed hoc praescribere, ut in acie pugnantes aut vincerent aut morerentur. Quae initio quidem Xerxis risum moverunt, sed mox eventus docuit, Demaratum vere locutum esse. Nam proelio commisso Lacedaemonii, cum certo scirent se esse perituros, fortissime tamen pugnarunt prostrataque innumerabili hostium multitudine dimicantes et ipse Leonidas et qui cum eo erant ad unum omnes occisi sunt. Iure igitur contendere mihi videor, summam in Lacedaemoniorum animis fuisse legum verecundiam. Quae nisi in iis valuisset, certe non aequissimis animis mortem oppetissent, praesertim cum una cum sociis sine ignominia ac turpitudine se recipere possent.

Hoc illud est, quod gravissimus auctor Cicero posuit in oratione pro Cluentio habita: legum idcirco omnes servos esse, ut liberi esse possimus. Neque aliter sensit de ea re Socrates, ille etiam Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus, quem Xenophon in eo libro, qui inscribitur Memorabilia, in hunc fere modum cum Hippia sophista disputantem inducit: Legitimum idem esse quod iustum: semper esse legibus oboediendum, etiamsi saepius commutatae sint; denique civitatem eo potentiorem atque beatiorem esse, quo maior sit legum verecundia atque oboedientia*).

Ex his, quae dixi, satis apparet, legibus libenter obtemperandum esse neque quidquam valere optima instituta ac praecepta, nisi ex animi sententia cives ea colant atque amplectantur. Quod si sua cuique patria carissima debet esse atque ad Spartam, quam nacti sumus, exornandam omnia nostra conferre vetere proverbio Graecorum iubemur: illud semper animis nostris non proponamus solum, sed inscribamus etiam et infigamus, nulla re nos melius de patria mereri posse quam si, quod cogimur facere eius legibus, id sponte faciamus aliisque, si qui forte quid officii sit minus intellexerint, exemplo atque auctoritati simus.

*) Das testimonium ist über's Knie gebrochen.

2) Philippus, rex Macedoniae, devictis ad Chaeroneam Atheniensibus iussisse fertur quotidie se ex somno excitari his verbis: Surge, rex, et hominem te natum memento.

Philippus Macedo, ubi interfectis fratribus ingressus est imperium, ita statim se gessit, ut vere illud, quod vetera cecinerant oracula, uno ex Amyntae filiis regnante florentissimum fore Macedoniae statum, praedictum esse videretur. Etenim principio regni exhausta continuis bellis patria cum hinc insidiae fratrum, illinc hostium externorum minae immaturam iuvenis aetatem urgerent, bella, quae cum multis diversorum locorum gentibus uno tempore gerenda erant, alia pace facta composuit, alia pecunia redemit, reliqua et minus difficilia vi et armis confecit, ut dubitem, an magis propter prudentiam, quam propter virtutem admirabilis exstiterit. Maxima vero adversus Graecos usus est calliditate: alendo enim civitatium discordias inferioresque adiuvando victores pariter ac victos debilitavit. Itaque hostem per longum tempus cum dissimulasset, postremo ceteris oppressis bellum intulit maximae civitati Atheniensium, quos quamvis superantes numero magna ad Chaeroneam pugna plane devicit. Quo facto rebus tam prospere fluentibus inflari Philippum crederes; sed tantum aberat, ut superbia efferretur, ut hostium magis respiciens calamitatem quam sua exsultans victoria quotidie se ex somno his verbis excitari iusserit: Surge, rex, et hominem te natum memento. Maximopere igitur illud sibi cavendum putabat, ne quid maius, quam natura hominis ferret, mortalis ipse cuperet neve, cum posse sibi videretur quidquid vellet, superbiae se daret. Quam quidem non timuisse putandus est idcirco, quia in vitio esset: neque enim talis erat rex, qui ad impetrandum id, quod vellet, a scelere abhorreret; sed perniciosam sibi existimabat et rebus suis incommodam. Quod iam quo iure ita putaverit, paucis libet explicare.

Ac primum quidem, si naturam contemplamur sortemque hominum, eiusmodi res nostras esse videmus, ut cum adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur, utrorumque quasi suus cuique ac certus constitutus sit a deo numerus. Itaque prosperis fere impendent rapidae fortunae vices, quae maximo

cuique maxime erunt graves quoniam ex altissimo loco acerbissimus casus est. Rex igitur imprimis, quoniam in summo dignitatis gradu collocatus est, fortunae ventos debet exspectare. At id stulti est, futura expavescere: nam imminentium malorum metu prohibetur, ne praesenti sua laetetur felicitate. Quid? censes nullo eum gaudio affici, si ipse felix communium sibi ante oculos ponet rerum humanarum infirmitatem? Immo sic demum non ingratus neque indignus fortunae beneficiis videbitur. Quid autem plerique? Credunt sua sibi virtute parasse bonam fortunam nec metuunt, ne quid adversi eveniat, quod secundas suas res evertat; unde fit, ut immodica exsultantes laetitia maiora quam pro viribus audeant. At metus iure eos non attingit, quoniam infidelissimus est recti magister. Profecto, si omnia tuta sunt, stulti est metuere: sin autem causa metuendi est, ut esse demonstravimus, contemnere pericula temerarium videtur. Atque omnis iniusta animi elatio quantorum sit malorum parens, in iis potissimum, quibus commissa est civitatis salus, cognoscitur. Ii enim, quoniam quo plura possident, eo plura cupiunt, potiti iis rebus, quibus nanciscendis pares erant, mox etiam ad nimia tendunt, sive insolentius in suos se gerentes, sive validiores aggressi hostes, sive honores appetentes divinos. Ita secundae res impediunt persaepe reges a recte consulendo ac, nisi constanti magnoque animo resistunt cupiditatibus, ad exitium vocant idque eo certius, quod fere adulatoribus aures praebent iisque auctoribus omnia se posse facillime credunt. Vehementer igitur laudandus est Philippus, qui rebus secundis usus tamen etiam adversa sibi accidere posse reputaverit superbiamque ex animo eiecerit.

An vero rebus adversis animo deficere ignavi videtur, rebus secundis efferri fortis aut magnanimi erit? Quid? inferiores stulte sempiternam suam arbitrantur felicitatem, rex recte arbitrabitur?

Deorum quidem perspicuum iudicium est: nam ut in silva arbor, quae alte se super ceteras extulit, coorta tempestate praecipue fulminibus petitur, sic in quavis civitate pernicie ingruente princeps primus praeceps ire solet, si superbiae se dedit.

Testis est Cyrus, qui cum omnibus Asiae gentibus subactis etiam ultimos Massagetas in dicionem redigere cuperet, turpiter periit; testis est magnus Alexander, virtute ille quidem

clarissimus, sed prudentia et moderatione superatus a patre, qui cum non iam hominem, sed deum se haberi vellet, immatura morte satis humanam probavit originem. Quid dicam de Caesare, quid de Carolo, Suecorum rege, quid de Napoleone*)? Qui quamvis magnis florerent ingenii facultatibus, tamen illud unum ignorabant, quod praeclare scriptum est apud Herodotum, solere deum eminentia mutilare. Idemque omnes omnium temporum sapientes suis sententiis comprobaverunt, quorum cum multa possim proferre testimonia, duo posuisse satis habeo, primum Hesiodi, quod libet latine convertere in hunc fere modum:

Attenuat deus insigues obscuraque promit
Sponte sua.

Deinde, quod Aesopus interrogatus a Chilone, uno ex septem sapientibus, quidnam ageret Iuppiter pater, respondisse fertur: alta eum deprimere, tollere humilia.

Satis id, quod erat propositum, demonstrasse mihi videor. Quod reliquum est, operam demus ut a Philippo discamus eadem pro nostra condicione uti prudentia, qua rex pro sua. Ne igitur efferamur superbia rebus secundis neu maiores nos habeamus, quam *quibus possit fortuna nocere.*

---

3) Socrates hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset.

Socratem Atheniensem, nobilissimum illum Graecorum philosophum, a civibus capitis damnatum esse quis est quin videat, quin improbet, quin lugeat? Enimvero miserandum est atque deplorandum, eum, qui ab Apolline Delphico sapientissimus esset iudicatus, qui parens philosophiae dici iure possit, ab ipsis civibus poculum mortiferum haurire iussum esse. At reus factus est et a iudicibus lege condemnatus. Audio, sed iure nego. Ut enim alia praetermittam, crimini datum est Socrati, quod iuventutem corrumperet: quem constat tota vita nihil antiquius habuisse, quam ut discipulorum mores emen-

*) Diese Zusammenstellung ist nach §. 52 fehlerhaft.

daret et adolescentes, quantum posset, a vitiis ad virtutem revocaret. Quod cum alii permulti demonstrarunt, tum plane et perspicue ostendit Xenophon, ipsius familiarissimus. Is in libro, qui inscribitur Memorabilia, Socratem docet omni modo adolescentes ad virtutem incitasse, cum non solum adhortatus eos sit, ut pietati, temperantiae, moderationi studerent, sed etiam semper operam dederit, ut a simulatione et inani ostentatione eos arceret. Quod quidem rectissime a Xenophonte dictum esse etiam aliunde constat. Iactatio enim quam odiosa sibi esset, cum multis saepius significavit Socrates, tum Alcibiadi, adolescenti singulari ingenio atque indole, sed nimia quadam superbia et levitate, declaravit. Qui cum aliquando in divitiis et agrorum multitudine se iactaret, adductus est ab illo in locum, in quo tabula quaedam descriptionem terrae complectens suspensa erat, rogatusque, ut in ea Atticam quaereret. Quam cum invenisset, suos quoque fundos quaerere et monstrare iubetur. Cum respondisset, illos quidem nusquam pictos esse, Socrates, Non te pudet, inquit, agrorum possessione gloriari, qui nulla pars terrae sunt? Quo magis credibile est, quod Xenophon in eo, quem supra diximus, libro his paene verbis memoriae prodidit. Socrates, inquit, hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset.

Quod quid sibi velit, haud difficile est ad intellegendum. Mihi quidem id significasse Socrates videtur, nulla via homines celerius id est certius veram gloriam assequi posse, quam si non umbram virtutis, sed virtutem ipsam consectarentur.

Quae sententia quam praeclara sit, ut planius intellegere ac perspicere possimus, videamus, si placet, quae verae gloriae vis sit et natura. Ac Cicero quidem in oratione, quam pro Sestio habuit, gloriam ait bonam famam esse bonorum; idemque in prima earum orationum, quae Philippicae nominantur, Gloria, inquit, est laus recte factorum magnorumque in rempublicam fama meritorum, quae cum optimi cuiusque, tum etiam multitudinis testimonio comprobatur. Ex quo intellegitur, quoniam boni est, velle quam praeclarissime de republica mereri, multitudinis laudem, cum pars gloriae sit, non contemnendam modo esse nemini, sed etiam magnopere expetendam. Quo modo autem expetenda vera laus sit, pauci sunt qui intellexerint,

ceteri haesitantes, quam viam ineant, plerumque ab ipsa multitudine adducuntur, ut eam ingrediantur rationem, qua veram laudem ac gloriam nunquam sint assecuturi. Multitudo enim cum ea sit, quae specie magis, quam veritate moveatur, persaepe, qui non constanti animo sunt, impelluntur, ut simulatione, ostentatione, vanitate illi se probare studeant. Quod cum facili negotio assecuti sunt — mox enim multitudo specie assimulatae virtutis occaecata ostentatores summis afficit honoribus —, tum vero gloriam se consecutos esse arbitrantur. Caecos homines, qui non videant, illam ipsam dignitatem, qua cum maxime floreant, mox se amissuros esse. Cum enim multitudo, simulatione in errorem inducta, nimiam de hominum ingenio ac virtute habeat opinionem, eius exspectationi ipsi respondere non possunt. Quo fit, ut ipsius multitudinis opinione ex altissimo dignitatis gradu, quem modo obtinuerunt, in summam turpitudinem atque infamiam praecipitentur, e qua nunquam emersuri sint. Ex quo satis apparet, ostentatione homines ne multitudinis quidem laudem, quae pars tantummodo gloriae sit, assequi posse, neque quemquam aliter veram laudem sibi posse parare, quam si tantum, quantum suis viribus efficere potest, communi commodo atque utilitati serviat, denique si non ostentatione vanaque oratione, sed praeclaris facinoribus laude dignum se praebere velit. Quod qui fecerit, certe vera gloria, id est et multitudinis et omnium bonorum laude nunquam carebit.

An qui homines, quamvis nihil nisi ipsam virtutem sequerentur, tamen, dum vivebant, a multitudine contempti ac neglecti sunt, eos gloriam non putas acquisivisse? Mirum errorem, qui homines vivos tantummodo censes assequi posse gloriam, quae maxime futura post mortem fama contineatur. Qua quidem, qui virtutem consectantur, nunquam carebunt; praeclare enim Horatius

> Virtutem incolumem odimus,
> Sublatam ex oculis quaerimus invidi.

Sequitur, homines illos neque obscuros dicendos esse, cum summa apud posteros gloria floruerint, neque miseros, cum et spe futurae gloriae et laude omnium bonorum, quae certe nulli probo deest, sustentare se potuerint. Velut ipse Socrates, quamvis a civibus non solum semper parum honoratus, sed etiam

capitis damnatus sit, tamen omnes iniurias aequo animo tulit, cum quanta sui futura esset apud posteros fama, animo praesentiret atque provideret. Neque hoc eum fefellit: nam et ipsi Athenienses mortuum summis honoribus affecerunt neque usque ad nostram aetatem praeclari viri memoriam ulla delevit oblivio. Rectissime igitur Cicero: Vera gloria radices agit atque etiam propagatur.

Sicut enim cedrus primo exiguum germen parvam sui speciem praebet, sed inter saxa, ut validum sibi ponat fundamentum, altissime agit radices, deinde lente succrescens longo denique spatio interiecto arbor exsistit tam firmo et solido ligno, quod neque caries neque tineae corrumpere possint, suavissimumque late diffundit odorem: sic qui virtutem ipsam sequitur, quamvis initio diu ab hominibus despiciatur atque vexetur, tamen hac ipsa re corroboratus animo non solum calamitatibus rebusque adversis nunquam opprimitur, sed etiam in dies plus virium colligit, ut postremo clarissima luce fulgeat atque spendeat.

Quod quamvis manifestum sit atque perspicuum, tamen omni tempore inventi sunt, qui gloriam se assequi posse putarent, cum ipsa virtute neglecta quocunque modo possent multitudinis favorem sibi conciliassent; atque iidem suo quisque exemplo quam falsa haec esset via declararunt. Nam ut alios omittam, Alcibiades Atheniensis cum initio ingenii facultatibus, quibus a natura benignissime praeditus erat, gratiam apud cives iniisset tantam, ut in dies magis ab iis diligeretur, coleretur, ornaretur, subito, ubi regni se cupidum esse significavit, in tantam incidit civium invidiam, ut ab iis capitis damnaretur, absens devoveretur, bona publicarentur. Atque idem quamquam postea calliditate sua et prudentia effecit, ut in patriam restitueretur pristinamque recuperaret dignitatem, tamen illam ipsam obtinere non potuit, cum paulo post re minus ex sententia gesta in invidiam recidisset. Quo facto ubi ad barbaros confugit, ab his auctoribus civibus interfectus est. Ex quo quam perniciosa hominibus ostentatio sit intellegere possumus.

Hoc illud est, quod praeclare Cicero in libro secundo de officiis, ficta omnia celeriter tamquam flosculos decidere nec simulatum posse quicquam esse diuturnum. Quanta autem in simplici veritatis ratione vis inesset, facete ab Aeschylo, nobili

illo fabularum scriptore, significatum est. Is in fabula, quae inscribitur Septem contra Thebas, Polynicem, patriae bellum inferentem, cum in aciem procedens clipeum teneat, in quo Iustitiae signum inclusum est, ita vituperat ac reprehendit, ut Amphiaraum, qui prudens ac sciens ad pestem ante oculos positam proficiscitur, quod nudum clipeum gerit, his verbis efferat: non enim se videri iustum, sed esse vult.

Ex his, quae diximus, intellegitur, neminem alia ratione veram gloriam assequi posse, quam si qualis haberi velit, talis sit, id est, si ipsam virtutem semper consectetur. Quod si fecerit, gloria nunquam carebit: rectissime enim Q. Fabius Maximus apud Livium: Gloriam, qui spreverit, veram habebit.

---

4) Agesilaus, dux Lacedaemoniorum, in hoc gloriabatur, quod nulli militi labore cederet.

Lacedaemonii cum bello Peloponnesiaco finito Atheniensibusque et eorum sociis devictis totius Graeciae imperio potiti essent, ob insolentiam atque superbiam mox omnibus invisi facti in summum venerunt discrimen, in quo certe interiisset eorum respublica, nisi Agesilai regis virtute propulsatum periculum esset. Hic et homo rerum civilium peritissimus et bonus imprimis imperator Lacedaemoniorum reipublicae fato datus est, ut civibus corruptis egregio, quid esset vir vere Lacedaemonius, exemplo ostenderet. Quamquam enim humili fuit statura et corpore exiguo et claudus altero pede, tamen effecerat, ut omnes aequales corporis exercitationibus superaret. Is ubi regnum adeptus est, omnium magnorum Graecorum exemplum imitari Persisque bellum inferre statuit. Persuasit igitur Lacadaemoniis, ut in Asiam mitterent exercitum ipsumque bello praeficerent. Data potestate tanta usus est celeritate, ut prius in Asiam venerit cum copiis, quam regis satrapae eum scirent profectum. Quo factum est, ut omnes imparatos offenderet, Phrygiam expugnaret multoque maiores hostium copias ad Pactolum fugaret. Mox cum iam animo meditaretur regem ipsum adoriri, ab ephoris, quod et tota paene Graecia bello persequeretur Lacedaemonios et Lysander, summus ille imperator, apud Haliartum cecidisset,

revocatus est. Itaque afflictae reipublicae auxilio venit gravibusque proeliis hostes apud Coroneam et Corinthum devicit. Neque multo post Spartam ipsam ab Epaminonda, praeclarissimo Thebanorum duce, oppugnatam summa fortitudine vigilantiaque defendit atque servavit. Ex his omnibus, quae diximus, intellegitur, eum optime de patria meritum fuisse. Quare fieri non potuit, quin a multis et praecipue a Xenophonte illo Socratico collaudaretur. Atque hic cum multa alia, tum hoc, ex quo viri mores institutaque maxime perspici possunt, de eo memoriae tradidt. Dixit enim in libro, qui inscribitur Hellenica*), Agesilaum in hoc gloriari solitum esse, quod nullo milite minus laboraret.

Qua voce quid significare voluerit Agesilaus, non obscurum est. Intellexerat enim boni ducis esse, non imperatoris modo, sed etiam strenui militis officia exsequi neque solum administrare bellum militesque verbis ad fortitudinem inflammare, sed etiam ipsum pugnare, hostem ferire, omnibus castrorum laboribus manus admovere. Quod quam recte ab eo dictum sit, facile erit ad intellegendum, si, quo consilio dux eligatur, exposuerimus.

Bello exorto, hoc qui gerit populus semper flagrantissime cupit, ut quam celerrime conficiatur. Ducem igitur, quantum potest, id agere necesse est, ut civium spei respondeat et, quoniam hostes nunquam, nisi magnis coacti cladibus, pacem ineunt, maximos de iis reportet triumphos. Ad vincendum autem non magis bono duce quam militibus fortibus opus est. Saepissime enim videmus, vel praeclarissimos imperatores, quod milites timidos ignavosque habuerint, fugatos esse. Quis est, qui hoc loco Hannibalis non meminerit apud Zamam, cum ipse omnia ducis officia strenue exsequeretur, militum ignavia destituti? Est igitur ducis, milites omni modo ad virtutem incitare. Quodsi verba, ut ait Sallustius, optimus ille auctor, virtutem non addunt neque ex ignavo strenuus neque fortis ex timido exercitus oratione imperatoris fit, ducem exemplo suo militum animos incendere necesse est. Nam quis est qui neget, ubi ducem viderint rem fortiter gerentem, pudore affectos milites hostium impetum sustentaturos esse? Neque

*) Das Citat ist nicht richtig.

in pugna solum fortes se praebebunt, sed etiam libentissimo animo omnia eius imperia, cum belli mala laboresque cum ipsis tolerabit, exsequentur.*) At si dux in pugna ipsa ceciderit, milites eius interitu perturbati fugient. Immo vero eo fortiore animo in proelium irruent et pro suis quisque viribus, ut optimum ulciscatur ducem, operam dabit. Quid? Thebani, cum Epaminondas apud Mantineam cecidisset, nonne acerrima pugna Lacedaemonios paene ad interitum vocaverunt? Atque saepius imperatores pro reipublicae salute semet ipsos devoverunt. Hic Deciorum, patris et filii, exempla afferre satis est. Uterque enim, cum iam Romanorum acies ad fugam inclinaretur, in medios se iniecit hostes fortiterque pugnans occisus est. Quo facto Romani haud perterriti, sed ad summam inflammati fortitudinem hostes in fugam verterunt. Satis apparere mihi videtur, boni esse ducis, strenui militis officia exsequi, atque Agesilaum in hoc summis laudibus esse efferendum, quod nemini cesserit labore.

Sicut enim filii servique, cum pater familias ipse agros colit suisque prodit exemplum abstinentiae atque laboris, ad imitationem maxime incitantur: sic milites, cum dux exercitui consulit, commeatum providet, omnia denique pericula laboresque cum suis communicat, imperata libentissimo animo facient atque in pugna fortiter pugnabunt.

Haec vera esse cum ex multorum tum ex Caesaris exemplo intellegere possumus. Is, cum apud Mundam legiones cederent, in medios irruit hostes conclamans, num se pueris vellent tradere? Quo facto milites pudore commoti hostium impetum sustinuerunt atque ipsos vicerunt. Neque minus in hoc genere Alexander Magnus perhibendus est. Omnia enim belli mala, frigoris atque aestus vim, famem sitimque una cum militibus perpessus est saepiusque acerrime pugnans vel in summum adductus est discrimen. Velut, cum Oxydracarum oppidum oppugnaret atque ipse, ceteris cunctantibus, in murum evaderet, solus initio relictus telorum vi obrutus esset, nisi milites, cum cernerent cunctatione sua hostibus dedi regem, eum ex eorum manibus eripuissent. Quid vero?

*) Die ratio ist schwach, weil sie die genera laboris nicht gehörig geschieden hat.

Gustavus Adolphus, Suecorum rex, nonne cum medio in proelio versaretur suosque ad fortitudinem incenderet, percussus est? Atqui tantum afuit, ut perterriti regis morte milites hostibus terga darent, ut cruenta pugna ducem caesum ulciscerentur. Iam quid de Friderico Magno, Napoleone aliisque praeclaris nostrae aetatis ducibus loquar? Quorum omnium exempla docent boni esse ducis nullo minus laborare.

Ac ne testimonia veterum requiratis, videmus Vergilium in Aeneidis libro sexto haec de Aenea dicentem:

Nec non Aeneas opera inter talia primus
Hortatur socios paribusque accingitur armis.

Aeneas enim, cum Misenum mortuum comburere vellet festinatoque opus esset, non adhortabatur solum milites, sed etiam ipse operi manus admovit. Manifestum igitur est, Vergilium, qui in Aenea perfecti ducis exemplum nobis proposuit, sic statuisse, non indignum esse imperatore militis obire munera. Hoc idem significasse mihi videtur Horatius, cum posuit in carminum libro secundo:

Audire magnos iam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos.

Non enim magnos imperatores magis collaudari posse intellexit, quam si pulvere sordidos ex pugna, in qua ipsi nimirum fortissime dimicaverunt, discedentes faceret.*)

Quae cum ita sint, satis mihi demonstrasse videor, boni esse ducis non modo bellum administrare, sed etiam strenui militis officia exsequi. Quod cum imperatores esse non omnes possimus, suo tamen quemque in loco quantum potest studere oportet, ut provinciae suae satis faciat ceterosque, qui cum ipso in eodem opere versantur, exemplo suo ad diligentiam incitet et ita reipublicae emolumentum afferat maximum.

---

*) Das testimonium empfiehlt sich in dieser Arbeit am meisten.

II.

Collectanea.

(Für jede der folgenden Nummern unter den einzelnen Hauptrubriken hat der Schüler einen Bogen anzulegen und auf diesem der Reihe nach, wie es die Lectüre bietet, das betreffende Beispiel einzutragen. An dem Rande hat er zu jedem Beispiel in möglichster Kürze den index (λῆμμα) zu schreiben, theils aus anderen wichtigen Gründen, theils um sich leichter in seinen Excerpten zurechtzufinden, wenn er sie benutzen will.)

I. Iudicia scriptorum*)

de hominibus quocunque litterarum genere insignibus.

A) de Graecis:

Plato. *Plato* ille non intellegendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister.

Cic. Orat. III, 10.

B) de Latinis:

Sallustius. *Sallustius* rerum Romanarum florentissimus auctor.

Tacit. Annal. III, 30.

*) Es können natürlich auch neuere Lateiner, namentlich in den Sammlungen von Matthiae (Eloquentiae Latinae Exempla. Lips. 1832) und Baumstark (Orationes Latinae virorum recentioris aetatis disertissimorum. Friburgi 1835) benutzt werden.

II. Similitudines.

A) Imago (simile per brevitatem, εἰκασία).

De legis vi et auctoritate. Ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege suis partibus uti non potest.

Cic. pro Cluent. §. 146.

B) Collatio (simile per redditionem).

Ut tempestates saepe certo aliquo caeli sigo commoventur, saepe improvisae nulla ex certa ratione obscura aliqua

ex causa concitantur; sic in hac comitiorum tempestate populari saepe intellegas, quo signo commota sit; saepe ita obscura est, ut sine causa excitata videatur.

De comitiorum fluctibus.

Cic. p. Mur. §. 36.

C) Similitudo libera et separata.

In corpore si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, id uri secarique patimur, ut membrum aliquod potius quam totum corpus intereat. Sic in rei publicae corpore, ut totum salvum sit, quidquid est pestiferum amputetur.

De poena civili.

Cic. Philipp. VIII §. 15.

D) Exemplum fictum.

Ut si quis in domum aliquam aut in gymnasium aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri iudicare: multo magis in tantis motionibus tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari.

Deum esse ex mundi gubernatione probatur.

Cic. de Nat. Deor. II §. 15.

III. Exempla.

A) ex rerum gestarum memoria.

Maximum exemplum est iustitiae in hostem a maioribus nostris constitutum, cum a Pyrrho perfuga senatui est pollicitus, se venenum regi daturum et eum necaturum. Senatus et C. Fabricius perfugam Pyrrho dedidit. Ita ne hostis quidem et potentis et bellum ultro inferentis interitum cum scelere approbavit.

Iustitia in hostem.

Cic. de Offic. I, 13.

B) ex historia fabulari.

Herculem dicunt, cum primum pubesceret, quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est, exisse in solitudinem atque ibi sedentem diu secum multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis, utram ingredi melius esset.

De eligendo vitae genere.

Cic. de Offic. I, 33.

C) ex tragoediarum comoediarumque argumentis.

Rusticus senex

serit arbores, quae alteri saeculo prosient,

ut ait Statius in Synephebis.

Senectus operosa.

Cic. Cat. M. XII, 24.

D) ex apologis.

De vitae civilis periculis.

Quod si me populus Romanus forte roget, cur
Non ut porticibus, sic iudiciis fruar isdem:
Olim quod vulpes aegroto cauta leoni
Respondit, referam: Quia me vestigia terrent
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.

Hor. Epist. I, 1, 70 ff.

IV. Testimonia (veterum).

A) dicta illustrium virorum.

De optima institutionis ratione.

Xenocratem ferunt, nobilem imprimis philosophum, cum ex eo quaereretur, quid discipuli eius adsequerentur, respondisse, ut id sua sponte facerent, quod cogerentur facere legibus. Cic. de Republ. I, 2.

B) testimonia scriptorum.

De honorum contentione.

Miserrima est ambitio honorumque contentio, de qua praeclare est apud Platonem, similiter facere eos, qui inter se contenderent, uter potius rem publicam administraret, ut si nautae certarent, quis eorum potissimum gubernaret.

Cic. de Offic. I, 25.

C) Verba (proverbia).

De morte voluntaria.

Vetus est, ubi non sis, qui fueris, non esse cur velis vivere. Cic. ad Famil. VIII, 3, 4.

D) Oracula (deorum responsa).

De avaritia.

Quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nulla alia re nisi avaritia esse perituram, id videtur non solum Lacedaemoniis, sed etiam omnibus opulentis populis praedixisse.

Cic. de Offic. II, 22.

E) Leges.

De studio civilium partium.

Solonis lex est, qua capite sanxit, si quis in seditione non alterutrius partis fuisset.

Cic. ad Attic. X, 1, med.

III.

Thematа.*)

I. De virtute.

1) Senec. de Provid. c. 4: *Calamitas virtutis occasio est.*
   P. Scipio apud Liv. XXVI, 41: Ea fato quodam data nobis sors est, ut magnis omnibus bellis victi vicerimus. (Horat. Carm. IV, 4, 65. Tacit. Annal. II, 25).
   Herculem, cum ad deos abiit, ante omnes Iunonem venerari facit ingeniosissimus poeta Lessingius (s. Pal. Mus. II, 2, p. 144).
2) Senec. de Provid. c. 2: *Marcet sine adversario virtus.*
   Appium Claudium crebro solitum dicere accepimus, negotium populo Romano melius quam otium committi. Val. Max. VII, 2, 1.
   Cleomenes, rex Lacedaemoniorum, divictis maximo proelio Argivis urbem eorum delere noluit, ne civibus suis cos virtutis deesset. Plut. Apophth. Lacon. VI p. 836 R.
3) Demosth. Olynth. I, 23: *Saepe tueri bona quam parare difficilius est.* (Wüstem. Prompt. Sent. p. 221.)
   Legati Rhodiorum apud Liv. XXXVII, 54: Quae parare ac quaerere arduum fuit, nescio an tueri difficilius sit.
   Cn. Pompeio difficilius fuit partam gloriam tueri quam parare.
   Memmius apud Sall. Iug. c. 31: Maius dedecus est parta amittere quam omnino non paravisse. (Turpius eiicitur quam non admittitur hospes. Ovid. Trist. V, 6, 13.)
4) Cic. Epist. ad Fam. V, 21, 5: *Praeter culpam ac peccatum homini accidere nihil potest, quod sit horribile ac pertimescendum.*

*) Außer Wüstemann's Promptuarium Sententiarum erste Aufl. 1856, auf welches ich hier und da verwiesen habe, sind aus älterer Zeit namentlich die mir bis jetzt unbekannt gebliebenen Florilegia von Joseph Lange und Ianus Gruterus nebst dem Polymnemon von Tobias Magirus (s. Morhof Polyhist. I, 1, 23, 25 ꝛc.), von Neueren Gnomologia Latina ed. Maderner. Viennae 1835 2 Tom. für diesen Zweck zu benutzen.

M. Tullio Ciceroni in adflicta per C. Iul. Caesarem republica maximum solacium fuit, quod culpa vacaret.

5) Secundum Aristotelem *eius vita est beatissima, cuius et fortunae sapientia et sapientiae fortuna suppeditat.* Rutil. Lup. de Fig. p. 24 ed. Runhk.

Cyrum minorem rite beatum ferebant, quia virtuti eius fortuna coniuncta erat. Cic. Cat. M. c. XVII.

Senec. de Benef. IV, 14: Semper contra fortunam luctata virtus etiam citra effectum propositi operis enituit (Wüstem. p. 252).

Demosthenes etsi non adsecutus est quod voluit, tamen in magnis viris iure numeratur (Wüstem. p. 106).

6) Cic. de Nat. Deor. II, 66, 167: *Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit.*

P. Cornelius Scipio ex quo togam virilem sumpsit, nullo die prius ullam publicam privatamque rem egit, quam in Capitolium iret ingressusque aedem consideret et plerumque solus in secreto ibi tempus tereret. Liv. XXVI, 19.

7) Senec. Epist. LXVI: *Potest ex casa vir magnus exire: virtus omni loco nascitur.*

Martinus Lutherus ex tugurii ignobilis tenebris ad clarissimum lumen gloriae excessit.

8) Sallust. Catil. I, 4: *Divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est: virtus clara aeternaque habetur* (Wüstem. p. 110).

Bias, cum patriam eius Prienen cepissent hostes ceterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent, cum esset admonitus a quodam, ut idem ipse faceret, Ego vero, inquit, facio: nam omnia mea mecum porto. Cic. Parad. I, 1, 8 (Wüstem. p. 46. p. 110).

Aristippus admonebat ea paranda esse viatica, quae simul e naufragio enatarent. Diog. Laert. VI, 1 (de Rep. I, 17, 28).

9) Corn. Nep. XVI, 3, 1: *Nimia fiducia magnae calamitati solet esse.*

Palinurus, vir probissimus, apud Vergilium tum ipsum occumbit, cum virtutis suae conscientia vehementissime nititur.

II. De singulis virtutibus.

1) *De humanitate.*

10) Senec. Epist. XLVIII: *Alteri vivas oportet, si vis tibi vivere.*

Terentianus ille Chremes (Heautontim. I, 1, 25) humani nihil a se alienum putat.

Humane Cicero, quod in adflictam a C. Iulio Caesare patriam redire et cum suis etiam in suis esse voluit (ad Famil. VII, 3).

Cicero nihil unquam sua potius, quam suorum civium causa fecisse se profitetur ad Famil. V, 21.

11) Cic. de Offic. I, 25, 88: *Nihil laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate et clementia.*

Claudian. de IV cons. Honor. v. 277: Sola deos aequat clementia nobis.

Senec. de Clem. I, 5: Est clementia omnibus quidem hominibus secundum naturam, maxime tamen decora imperatoribus (Wüstem. p. 233).

Manibus Hectoreis atrox ignovit Achilles. Claud. Epist. I, 13.

Caesar victor nunquam nisi honorificentissime Pompeium appellare solebat. Cic. ad. Fam. VI, 6.

Cum Caesar rerum potitus Pompeii statuas deiectas honorifice reposuisset, Caesar, inquit Cicero, cum Pompeii statuas reponit, suas figit. Plut. Apophth. VI, p. 774 R.

Pheretime, Cyrenensium regina, propter nimis satiatam hostili sanguine ultionem poenas deorum gravissimas subiit. Herod. IV, 162—167. 202—205.

2) *De pietate erga deos.*

12) Cic. p. Planc. XII, 29: *Pietas fundamentum est omnium virtutum.*

Populus Romanus, dis se minorem quod gessit, imperavit (secundum Horat. Carm. III, 6, 5).

Hor. Carm. III, 4, 66: Vim temparatam di quoque provehunt In maius.

3) *De pietate in parentes.*

13) Socrates apud Xenoph. Mem. II, 2: *pietatem erga parentes et dis* (Cic. Tusc. I, 47) *et hominibus gratissimam esse dicit.*

Andromache ap. Verg. Aen. III, 341 ex Aenea sciscitatur, num Ascanius puer et amissae matris memor sit et patris avunculique exemplo ad antiquam virtutem excitetur.

Epaminondas ex omnibus, quae prospere et honeste gessisset in vita, illud sibi dicebat esse iucundissimum,

quod vivo utroque parente Leuctrica pugna vicisset Lacedaemonios. Plut. Apophth. VI, p. 729 R.

Laertes senex ap. Hom. Odyss. XXIV, 514 beatum se praedicat, cum filium cum nepote certamen virtutis ineuntes videt.

4) *De amore patriae.*

14) Ovid. Pont. I, 3, 35: *Nescio qua natale solum dulcedine captos Ducit et immemores non sinit esse sui.*

Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam sapientissimus vir immortalitati anteposuit. Cic. de Orat. I, 14, 196.

Cic. ad Fam. X, 5: Nihil ex omnibus rebus humanis est praeclarius aut praestantius, quam de republica bene mereri (Wüstem. p. 217. de Rep. I, 1, 1 ff.).

Horat. Carm. III, 2, 13: Dulce et decorum est pro patria mori. Pedius apud Plin. N. H. Urlichs p. 81. Xenoph. Anab. III, 2, 7.

Liv. XXVII, 34, 14: Ut parentum saevitia, sic patriae patiendo ac ferendo lenienda est (Wüstem. p. 217. Vergl. Cic. ad Fam. I, 9, 18. Plat. Crit. p. 51 B. C.).

5) *De sapientia.*

15) *Socrates cognitionem sui omnis virtutis principium esse dicebat.* Xenoph. Mem. IV, 2, 23—39.

Demonax interrogatus, quando coepisset philosophari, Tum, inquit, cum cognoscere me ipsum coepi. Stob. Serm. 21.

16) Cic. ad Fam. V, 13, 1: Laudem sapientiae statuo esse maximam non aliunde pendere nec extrinsecus aut bene aut male vivendi suspensas habere rationes. (S. Tusc. V, 12, 36.)

Sapientissimus in hoc putandus est Cicero, quod ad omnes vitae casus subsidia sibi paraverat (ad Fam. IX, 6).

Tempori cedere id est necessitati parere semper sapientis est habitum. Cic. ad Fam. IV, 9.

17) Ulixes Homericus non modo multas urbes vidit, sed multorum hominum ingenia perspexit. (Wyttenb. bei Baumstark Oratt. Lat. p. 38; Wüstem. p. 19.)

6) *De iustitia eiusque coniunctis virtutibus.*

18) Cic. de Offic. 1, 7: *Fundamentum iustitiae est fides.*

Appius Claudius ap. Liv. VI, 41 extr.: Cum fide omnis humana societas tollitur. (Wüstem. p. 201. 202. Hor. Carm. III, 2, 26: Vetabo, qui Cereris sacrum etqs.)

Cic. de Offic. II, 9, 34: Iustitia sine prudentia multum poterit, sine iustitia nihil valebit prudentia.

Socrates cum e custodia evadere posset, noluit. Diog. Laert. II, 5, 24.

Sapienter Persae ei ex regiis liberis, qui natu maximus erat quique in spem regni educabatur, cum alios ad virtutem magistros dabant, tum unum imprimis, a quo iustitiam doceretur. Muret. bei Matth. Exempl. Eloq. p. 43.

19) Curt. IV, 1, 20: *Causa paupertatis plerisque probitas est.* (Wüstem. p. 168.)

Aristides in tanta paupertate decessit, ut, qui efferretur, vix reliquerit. Nep. Arist. 3. (S. Plut. Apophth. VI, p. 706 R.)

7) *De fortitudine animique magnitudine.*

20) Cic. de Offic. I, 19: *Elatio animi, si iustitia vacat, in vitio est.*

21) Mart. Epigr. II, 5, 3: *Ardua res haec est opibus non tradere mentem.*

Epaminondas cum comperisset armigerum suum magnam pecuniam accepisse a quodam, qui captus fuerat, Proinde, inquit, scutum mihi redde tibique cauponam eme, in qua vitam exigas: dives enim et unus beatorum factus non iam voles pericula adire. Plut. Apophth. VI, p. 732 R.

22) Mart. Epigr. XI, 57, 15: *Rebus in angustis facile est contemnere vitam: Fortiter ille facit, qui miser esse potest.*

Ciceroni cur vitam abiceret in eversa per C. Iul. Caesarem republica, causa non erat. ad Fam. VII, 3.

Plaut. Rud. I, 2, 88: Animus aequus optimum est aerumnae condimentum. (Wüstem. p. 79.)

23) *Democritus dicere solebat, fortem esse non solum hostium, sed etiam voluptatum victorem.* Stob. Serm. 7.

8) *De temperantia eiusque contrariis vitiis.*

24) *Praeclare Socrates fundamentum virtutis temperantiam dixit.* Xenoph. Memorab. I, 5, 4.

Horat. Carm. III, 16: Quanto quisque sibi plura negaverit, Ab Dis plura feret.

Socrates eum, qui parvo contentus esset, deo simillimum dicebat. Xen. Mem. I, 6, 10.

25) *Divine Plato escam malorum voluptatem vocat.* Cat. M. XIII (Wüstem. p. 89).

P. Scipio ap. Liv. XXX, 14, 7: Qui voluptates suas temperantia frenavit ac domuit, multo maius decus maioremque victoriam sibi peperit, quam hoste victo. Cic. pro Marcello 2, 3.

Valer. Max. IV, 1, 2: Multo se ipsum quam hostem superasse operosius est. (Wüstem. p. 79.)

Cleanthes quaerenti cuidam, quomodo quis dives evadere posset, respondit, si cupiditatum fuerit inops. Stob. Serm. 92.

Agesilaus, quod sibi imperaret, pulchrius esse iudicabat, quam quod imperium teneret in alios. Plut. Apophth. VI p. 791 R.

26) Sen. Epist. CXIX: *Neminem pecunia divitem fecit* (Wüstem. p. 166. 167).

Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati sunt. Non enim aurum habere praeclarum sibi videri dixit, sed iis, qui haberent aurum, imperare. Cat. M. §. 55.

Verg. Aen. III, 56: Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames?

Lucan. Phars. I, 166: Fecunda virorum paupertas. Xenoph. Anab. III, 2, 26 *οἱ Ἕλληνες ἑκόντες πενέστατοι.*

Senec. Epist. CXV: Ex quo pecunia in honore esse coepit, verus rerum honor occidit (Wüstem. p. 165).

Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate, ut, cum vidisset monile ex auro et gemmis, pulchritudine eius incensa salutem viri proderet. Cic. Verr. IV, 18, 39.

III. De gloria et honore.

27) Cic. pro Arch. XI, 26: *Trahimur omnes laudis studio et optimus quisque maxime gloria ducitur.* Sil. Ital. VI, 332:

Fax mentis honestae gloria. Ovid. Trist. V, 12, 37: Non parvas animo dat gloria vires Et fecunda facit pectora laudis amor. Val. Max. II, 6, 5: Virtutis uberrimum alimentum est honos (Wüstem. p. 252).

Noctu ambulabat in publico Themistocles, quod somnum capere non posset, quaerentibusque respondebat, Miltiadis tropaeis se e sommo suscitari. Cic. Tusc. IV, §. 44.

C. Iul. Caesar cum Gades venisset, animadversa apud Herculis templum magni Alexandri imagine ingemuit et quasi pertaesus ignaviam suam, quod nihildum a se memorabile actum esset ea aetate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset, missionem continuo flagitavit ad captandas quam primum maiorum rerum occasiones in urbe. Sueton. Iul. Caes. VII.

28) *Epicurus dicit aliquem virum bonum nobis esse eligendum ac semper ante oculos habendum, ut sic tanquam illo spectante vivamus.* Senec. Epist. XI.

Alexander Macedo a puero aemulatus est Achillem Homericum. Arrian. VII, 14, 4 coll. I, 12, 1.

M. Porcius Cato M'. Curii villam contemplans admirari satis non poterat vel hominis ipsius continentiam vel temporum disciplinam. Cic. Cat. M. §. 56.

29) Cic. p. Mil. XXXV, 96: *Fortes et sapientes viri non tam praemia sequi solent recte factorum, quam ipsa recte facta.* cf. de Offic. I, 19.

Cicero in tota vita ea studiose secutus est, a quibus vera gloria nasci posset, ipsam gloriam per se nunquam expetendam putavit. ad Famil. XV, 4.

Socrates hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset. Cic. de Offic. II, 12 coll. Xen. Mem. I, 7, 1; II, 8, 39.

Cic. de Offic. II, 12: Vera gloria radices agit atque etiam propagatur, ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt (Wüstem. p. 189).

Cic. de Offic. I, 19: Facillime ad res iniustas impellitur, ut quisque altissimo animo est, gloriae cupiditate.

Alcibiadi maximorum malorum causa fuit nimia opinio ingenii atque virtutis. Nep. Alc. VII.

Q. Fab. Maximus ap. Liv. XXII, 39 extr.: Gloriam qui spreverit, veram habebit (Wüstem. p. 109).

Q. Fab. Maximi, quod vulgi rumores sprevit, postque magisque, ut ait Ennius, gloria claret. Cic. Cat. M. §. 10.

30) Nep. Chabr. III: *Invidia gloriae comes est* (Wüstem. p. 196. 197).

Democritus invidiam ulcus veritatis esse dicebat. Orell. Opusc. Sent. I p. 139.

Horat. Carm. III, 29, 31: Virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quaerimus invidi.

Socrates cum damnatus poculum hausisset, statim Athenienses eius facti adeo poenituit, ut publico luctu ceteros accusatores exilio, Melitum morte multarent, Socratem vero ex aere publice statuerent. Diog. Laert. II, 5, 43.

31) Horat. Carm. IV, 8, 28: *Dignum laude virum Musa vetat mori: Caelo Musa beat.*

Alexander Magnus, cum in Sigeo adstitisset ad Achillis tumulum, O fortunate, inquit, adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris. Cic. p. Arch. X, 24.

IV. De artium litterarumque studiis.

32) Senec. Epist. LXXXII: *Vita sine litteris mors est et hominis vivi sepultura.*

Mytilenaei, cum maris imperium tenerent, sociis, qui desciverant, nihil aliud poenae irrogarunt, quam ut ne liberos suos litteras docerent. Ael. V. H. VII, 15.

33) Phaedr. IV, 21, 1: *Homo doctus in se semper divitias habet.*

Crates philosophus, Diogenis discipulus, pecuniam suam apud argentarium deposuit hac condicione, ut, si filii sordidam artem didicissent, illis redderetur, sin se optimarum artium ac philosophiae studiis dedissent, plebi distribueretur. Diog. Laert. VI, 5, 88.

34) Cic. p. Arch. VII, 16: Litterarum studia (secundas res ornant) adversis perfugium ac solacium praebent.

Cicero postquam venia Caesaris impetrata in urbem venit, cum libris suis tanquam veteribus amicis in gratiam rediit. ad Fam. IX, 1, in.

35) Cic. Cat. M. §. 50: *Studia doctrinae prudentibus et bene institutis pariter cum aetate crescunt.*

Solon senescebat multa quotidie addiscens. Cat. M. §. 50.

Solonem accepimus, cum in lectulo morti proximus decumberet inaudissetque adsidentes amicos de re quapiam summisse, ne ipsi molestiam parerent, disputantes, erecto, ut potuit, iam semimortuo capite rogasse eos, ut aliquanto loquerentur elatius: sibi, si etiam moriens aliquid discere potuisset, discessum e vita iucundiorem fore. Muret. bei Baumstark Oratt. Lat. p. 56 nach Valer. Max. VIII, 14.

36) Ovid. ex Ponto II, 9, 47: *Ingenuas didicisse fideliter artes Emollit mores nec sinit esse feros.*

Alcibiades, quod Socrati non fideliter operam dedit, ferox ac superbus factus est. Xen. Mem. I, 2, 12—28 vergl. mit IV, 1, 3. 4.

37) Cic. Orat. XLII: *Omnium magnarum artium sicut arborum altitudo nos delectat, radices stirpesque non item, sed esse illa sine his non potest.*

Cato dixit litterarum radices amaras esse, fructus iucundiores. Diomed. ed. Putsch. p. 289.

Hor. Art. Poet. 414: Qui Pythia cantat Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum.

38) Cic. Tusc. Disp. I, 2: *Honos alit artes omnesque incenduntur ad studia gloria, iacentque ea semper, quae apud quosque improbantur.*

Plinius ad Valerium Paulinum Traiano imperante scripsit: Gaude meo, gaude tuo, gaude publico nomine: adhuc litteris honor durat. V. Ernest. ap. Matth. Exempl. Eloq. p. 252.

39) Senec. Epist. LXXVI: *Tam diu discendum est, quam diu nescias et, si proverbio credimus, quam diu vivas.*

Sen. Nat. Quaest. VII, 31: Habet Eleusin, quod ostendat revisentibus.

Plato dicit (Epin. p. 992. A.) omnium doctrinam ingenua-

rum et humanarum artium uno quodam velut societatis vinculo contineri. Cic. de Orat. III, 6, 21.

Socrates, is qui esset omnium sapientissimus Apollinis oraculo iudicatus, hoc unum se scire, sese nihil scire, professus est.

40) *Theocr.* Idyll. XXI, 1 *dicit paupertatem solam artes excitare, solam laboris magistram esse.*

Gaditani artes paupertatemque iisdem aris coluisse dicuntur. Aelian. ap. Eustath. in Dionys. — Philostr. de V. Apollonii V, 1.

Horatium paupertas impulit audax, ut versus faceret. Epist. II, 2, 51.

V. De singulis artibus.

1) *De philosophia.*

41) Cic. Cat. M. 1, 2: *Nunquam laudari satis digne philosophia poterit, cui qui pareat, omne tempus aetatis sine molestia possit degere.*

Diogenes percontanti, quid fructus cepisset ex philosophiae studiis, Si nihil aliud, inquit, hoc certe, ut ad omnem fortunam paratus sim. Diog. Laert. VI, 2, 63.

Cicero ad omnes vitae casus subsidia parata habebat. ad Famil. IX, 6.

Dionysius minor cum propter improbitatem Syracusis expulsus Corinthi pueros doceret, interrogatus a quodam, quid ei Plato ac philosophia profuisset, Hoc, inquit, nimirum, ut tantam fortunae vicissitudinem placide tranquilleque feram. Plut. Apophth. VI p. 673 R.

Epictetus philosophiae summam duobus verbis comprehendere solitus est his: Sustine et abstine. Gell. N. Att. XVII, 19.

2) *De eloquentia.*

42) *Pacuvius* (ap. Cic. de Orat. II, 44, 187) *orationem omnium rerum reginam dicit.*

Quint. Inst. Orat. X, 6, 2: Pectus est, quod disertos facit.

Quint. Inst. Orat. XII, 1 recte negat quemquam posse oratorem esse nisi virum bonum.

Demosthenes interrogatus, quomodo tantam sibi dicendi facultatem comparasset, Plus olei, inquit, quam vini mihi consumptum est. Stob. Serm. 27.

3) *De poesi.*

43) *Ennius suo iure poetas sanctos appellat.* Cic. pro Arch. VIII, 18. Urlich's Chrest. Plin. p. 63.

Recte Plato (Phaedr. p. 225 A.) poetam bonum negat quemquam sine inflammatione animorum existere posse et sine quodam adflatu quasi furoris. Cic. de Orat. II, 46, 194. de Divin. I, 37, 80.

4) *De historia.*

44) Cic. Orat. XXXIV, 120: *Nescire, quid antea, quam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum.*

Sirenes fingit Homerus non vocum suavitate eos, qui praetervehebantur, revocare solitas, sed rerum, quas se scire profitebantur, novitate. Cic. de Fin. V §. 49. Muret. Opp. T. IV p. 177 R.

VI. De institutione morumque conformatione.

45) Cic. Tusc. II, 5, 13: *Ut ager quamvis fertilis sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus.*

Hor. Carm. IV, 4, 33: Doctrina — vim promovet insitam Rectique cultus pectora roborant. S. Cic. p. Arch. VI.

46) *Socrates dicebat optime a natura instructis maxime adhibendam esse rectam institutionem.* Xen. Mem. IV, 1.

Lycurgus Lacedaemonius dicebat plus ad honestatem momenti adferre institutionem quam naturam. Plut. Apophth. Lacon. VI p. 842. 843 R.

Alcibiades, Cliniae filius, in natura praeclara atque inlustri non satis praesidii esse ad virtutem moderationemque animi demonstravit.

47) Verg. Georg. II, 272: *In teneris consuescere multum est.* (S. Cic. Tusc. II, 17).

Milo quem vitulum adsueverat ferre, taurum ferebat. Quint. Inst. Orat. I, 9.

48) Horat. Epist. I, 2, 69: *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu.*

Cicero nisi ab adolescentia multorum praeceptis multisque litteris sibi suasisset, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem, nunquam tam bonus civis evasisset (p. Arch. VI, 14).

49) Hor. Epist. I, 2, 54: *Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis acescit.*

Cic. Tusc. II, 5, 13: Animi non omnes culti fructus ferunt.

Epictetus philosophus cum videret hominem corruptis moribus philosophiae disciplinas contrectare, Vide, inquit, ne ista in vas spurcum et pollutum immissa acescant. Gell. N. Attic. XVII, 19.

Iul. Caesar Scaliger filiis ad se discendi causa ventitantibus primum illud praeceptum inculcare solebat: non mentiri. (Bernays: Ios. Iust. Scaliger p. 116 Anm.)

50) *Aristoteles dicere solebat ad virtutem sapientiamque parandam tria potissimum necessaria esse: naturam, institutionem, exercitationem.* Diog. Laert. V, 1.

Thales aiebat diligentiam et meditationem omnibus in rebus plurimum valere (μελέτη τὸ πᾶν). S. Cic. de Orat. II, 35, 148.

In Demosthene, cui sine dubio summa vis dicendi conceditur, tantum studii fuisse, tantus labor dicitur, ut ipsa naturae impedimenta diligentia industriaque superaret. Cic. de Orat. I, 61, 260.

Apelli pictori, quem et omnes prius genitos futurosque postea superasse dicit Plinius N. H. XXXV, 10, 36, perpetua consuetudo fuit nunquam tam occupatum diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem, quod ab eo in proverbium venit. Plin. l. l.

51) Cic. Tusc. II, 4, 11: *Disciplina omnis non ad ostentationem scientiae, sed ad legem vitae referenda est.*

Xenocratem ferunt, nobilem imprimis philosophum, cum ex eo quaereretur, quid discipuli eius adsequerentur, respondisse, ut id sua sponte facerent, quod cogerentur facere legibus. Cic. de Rep. I, 2.

Achilles ita institutus est a Phoenice, iuventutis suae rectore, ut idem esset et ad dicendum et ad agendum idoneus. Il. IX, 443.

52) Quint. Inst. Orat. XI, 2, 1: *Memoria ceterae animi partes velut spiritu continentur.*

Diogenes cum Xeniadis Corinthii pueros institueret, eos ex poetis aliisque scriptoribus optima quaeque ediscere

iussit, quod ea modo sciremus, quae memoria teneremus. Diog. Laert. VI, 2, 31.

M. Porcius Cato exercendae memoriae gratia quid quoque die dixisset, audisset, egisset, commemorabat vesperi. Cic. Cat. M. XI, 38.

53) Plin. Epist. IV, 19, 4: *Amor magister est optimus.* (Cic. Orat. X: Nihil difficile amanti puto).

Euclidem Megarensem tantus cognitionis et scientiae amor tenuit, ut vitae periculum subire mallet, quam a Socratis usu et consuetudine abesse.

VII. De labore et otio.

54) *Democritus conspicatus iuvenem industrium et laboriosum, Iucundissimum, inquit, senectuti opsonium paras.* Orell. Opusc. Sent. I, p. 133.

Cleanthes Laconi cuidam laborem bonum esse dicenti perfusus laetitia, Sanguine, inquit, mi fili, praeclaro es. Diog. Laert. VIII, 5, 172.

Horat. Epist. I, 2, 65: Venaticus ex quo Tempore cervinam pellem latravit in aula, Militat in silvis catulus.

55) *Cato dicebat nihil agendo homines male agere discere.* Colum. XII, 1.

Lucan. Phars. IV, 704: Variam semper dant otia mentem.

P. Scipio, is qui primus Africanus appellatus est, dicere solebat, nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset. Cic. de Offic. III, 1.

Catull. LI, 13: Otium et reges prius et beatas Perdidit urbes.

56) Hor. Serm. I, 9, 59: *Nil sine magno Vita labore dedit mortalibus.*

Sen. Ep. XXXI: Generosos animos labor nutrit.

Quint. Inst. Or. X, 3, 4: Nihil rerum ipsa natura voluit magnum effici cito praeposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem.

VIII. De fortuna.

57) Tacit. Histor. I, 15: *Secundae res acrioribus stimulis animos explorant, quia miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur.* Verg. Aen. X, 501.

Pompeius, quod multum, ut ait Lucan. Phars. I, 134, priori fortunae credebat nec novas vires reparabat, in perniciem ruit.

Brigantibus felicitas in socordiam vertit. Tac. Agr. XXXI, 7.

Accidit Cononi, ut inconsideratior in secunda, quam in adversa esset fortuna. Nep. Con. V, 1.

Niobe, quam copia tutam fecit, ut ait Ovid. Met. VI, 194, misere periit.

58) Caes. Bell. Alex. XXV: *Fortuna plerumque eos, quos plurimis beneficiis ornavit, ad duriorem casum reservat.* Dec. Laberius: Fortuna multis parcere in poenam solet. Urlich's Chrest. Plin. p. 201; p. 75. 76.

Crassus ad Euphratem aquilas natumque suosque Perdidit et leto est ultimus ipse datus. Ovid. Trist. VI, 465.

Hannibal ap. Liv. XXX, 30: Maximae cuique fortunae minime credendum.

Amasis, rex Aegyptiorum, Polycrati Samio propter nimiam eius felicitatem amicitiam renuntiavit. Herod. II, 38—44. 120—129.

Q. Fabius Maximus, quod fortunam nimiam verebatur, consulatum denuo oblatum recusavit. Liv. X, 13 (vergl. Camillus Liv. V, 26).

Hannibal apud Liv. XXX, 42: Ràro simul hominibus bona fortuna bonaque mens datur.

Philippus, rex Macedoniae, devictis ad Chaeroneam Atheniensibus quotidie e somno se his verbis excitari iussisse dicitur: Surge, rex, et hominem te natum memento. Stob. Serm. 21.

59) Nautes senior ap. Verg. V, 710: *Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.*

L. Aemilius Paullus mortem filiorum aequissimo animo tulit. Liv. XLV, 40. Vell. Pat. I, 10.

60) Hor. Carm. III, 27, 74: *Bene ferre magnam disce fortunam.* Caesar apud Sallust. Cat. LI: In maxuma fortuna minuma licentia est.

Liv. XXXIV, 7: *Quo quis plus potest, eo moderatius imperio uti debet.*

Germanicus, quo summae spei propior erat, tanto magis pro Tiberio nitebatur. Tac. Annal. I, 34.

Pericles moriens gloriatus est, quod nemo civium propter se unquam luxisset. Plut. V. Pericl.

61) *Alcman appellat fortunam providentiae filiam eandemque sororem iustitiae.*

Demosthenes (Olynth. II) sperat deos Atheniensibus adfuturos, quod nihil ipsi iniuste fecissent, dummodo ne in agendis rebus segnes et improvidi essent. Xenoph. Anab. III, 2, 8.

IX. De vita vitaeque communis usu.

62) *Plato non vitam, sed honestam vitam maximi faciendam esse dicebat.* Stob. Serm. 7.

Diogenes dicenti cuidam, malum esse vivere, Non, inquit, vivere malum est, sed male vivere. Diog. Laert. VI, 2, 52.

Cic. Tusc. I, 45, 109: Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto munere functus est.

Cum P. Scipione Africano immatura morte exstincto praeclare actum erat. Cic. Cat. M. III ff. (Vergl. Socrates bei Xen. Mem. IV, 8).

63) Sen. de Brev. Vitae III: *Temporis unius honesta avaritia est.* Democritus pretiosissimum impendium dicebat esse temporis. Plut. V. Antonii. (Wüstem. p. 32).

64) Cic. Cat. M. §. 74: *Fructus senectutis est ante partorum bonorum memoria et copia.*

Leontinus Gorgias, cum ex eo quaereretur, cur tam diu vellet esse in vita, Nihil habeo, inquit, cur accusem senectutem. Cic. Cat. M. V, 13.

Mart. Ep. X, 23: Ampliat aetatis spatium sibi vir bonus: Hoc est Vivere bis, vita posse priore frui.

Agricola senex apud Statium in Synephebis quaerenti, cui serat, Dis, inquit, immortalibus, qui me non accipere modo haec a maioribus voluerunt, sed etiam posteris prodere. Cic. Cat. M. §. 25.

65) Ovid. Trist. III, 5, 25: *Bene qui latuit, bene vixit.*

Socrates interrogatus, quamobrem ipse non administraret rempublicam, cum administrandi rationem optime sciret, respondit, eum utiliorem esse civitati, qui multos

efficeret idoneos reipublicae gerendae, quam qui ipse eam gereret. Xen. Mem. I, 6, 15.

66) Senec. Epist. VI: *Qui sibi amicus est, scito hunc amicum omnibus esse.*

T. Pomp. Atticus ita vixit, ut universis Atheniensibus merito esset carissimus. Nep. Att. II.

67) *Scitum est illud Catonis, melius de quibusdam acerbos inimicos mereri quam eos amicos, qui dulces videantur.* Cic. Lael. §. 90.

Ovid. Met. IV, 428: Fas est et ab hoste doceri.

X. De civitate rerumque civilium rationibus.

68) Cic. p. Cluent. LIII: *Legum nos esse servos oportet, ut liberi simus.*

Hor. Carm. III, 24, 35: Quid leges sine moribus Vanae proficiunt?

Plato rogatus a Cyrenensibus, ut ipsis leges scriberet ac rempublicam constitueret, recusavit, cum adderet, perdifficile esse condere leges tam felicibus. Diog. Laert. III.

Cato apud Liv. XXXIV, 3: Unam tollendo legem ceteras infirmaveris.

69) Micipsa ap. Sall. Iug. X: *Concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur.* (S. Philippus bei Liv. XL, 5).

Sil. Ital. IX, 407: Parvis dives concordia rebus.

70) Hannibal ap. Liv. XXX, 44: *Nulla magna civitas diu quiescere potest.*

71) Curt. X, 1: *Nulla potentia scelere quaesita cuiquam est diuturna.* (Wüstem. p. 219).

72) Cic. de Rep. I, 44, 68: *Nimia libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit* (evadit?).

73) Cato ap. Liv. XXXIV, 4: *Duo vitia, avaritia et luxuria, omnia magna imperia everterunt.* (Wüstem. p. 214 ff.)

Iuven. VI, 291: Saevior armis luxuria.

74) Claud. de Cons. Stil. III, 113: *Fallitur, egregio quisquis sub principe credit servitium: nunquam libertas gratior exstat.*

Reges Homerus pastores populorum nominat.

XI. De rebus bellicis.

75) Curt. IV, 14: *Effugit mortem, quisquis contempserit; timidissimum quemque consequitur.* (Hom. Il. V, 530. Tyrtae. II, 11 ff. Xen. Anab. III, 1, 43. Mitscherl.

ad Hor. Carm. III, 2, 14: Mors et fugacem persequitur virum. Wüstem. p. 254).

76) Nep. Pelop. II: *Magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae.* Xenoph. Anab. III, 1, 42: *οὔτε πλῆθος οὔτε ἰσχὺς τὰς νίκας ποιεῖ.* III, 2, 11—14.

77) Prop. Eleg. IV [V], 6, 15: *Frangit et extollit vires in milite causa: Quae nisi iusta subest, excutit arma pudor.* (Xen. Anab. III, 1, 19—22. ibid. §. 42.—2, 8—10. Hannibal bei Liv. XXI, 44).

Lucan. VII, 350: Causa iubet melior superos sperare secundos.

78) Hannibal ap. Liv. XXI, 43: *Saepe et contemptus hostis cruentum certamen edidit* (et incluti populi regesque perlevi momento victi sunt).

Curt. VI, 3: Parva saepe scintilla contempta magnum excitavit incendium. (Liv. XXI, 3 extr. Tacit. Annal. IV, 32).

Nihil in bello oportere contemni docuit Thrasybulus. Nep. V. Thras. II..

79) Q. Fabius ap. Liv. XXII, 25: *Sciant homines bono imperatori haud magni fortunam momenti esse, mentem rationemque dominari.* (Wüstem. p. 250).

Agamemnon Homericus non ut Aiacis similes habeat decem, sed ut Nestoris optat: quod si sibi acciderit, non dubitat, quin brevi sit Troia peritura. Cat. M. X, 31. (S. Cic. Tusc. II, §. 11. Ovid. Met. XIII, 360—369).

80) Cic. de Imp. Cn. Pompeii XIV, 38: *Non potest exercitum continere is imperator, qui se ipse non continet.*

Cum Themistocles summam boni ducis laudem in eo esse definiret, ut antecaperet hostium consilia, Aristides, Istuc, inquit, faciendum est, sed imprimis oportet habere manus abstinentes. Plut. V. Aristid.

Agesilaus in hoc imprimis gloriari solebat, quod, cum rex esset, nihilominus in laboribus obeundis nemini cederet. Plut. Apophth. Lacon. (Luc. Phars. IX, 395 ff. Xen. Anab. III, 1, 37 ff. III, 3, 48).

Aeneas apud Verg. Aen. VI, 183 opera inter talia primus hortatur socios paribusque accingitur armis.

Register.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

R.

S.

T.

U.

V.

W.

Z.

Druck von Metzger & Wittig in Leipzig.



